

feu tabernaculo moramur ad tempus super terram, fuerit morte dissolutum, quod edificati-
onem ex Deo habemus domum non manufactam,
aeternam in caelis, id est quod habitari sumus aliam
domum longè praestantiorē, nempe caelestem
& aeternam; & iterum, *Domum sumus in corpore*
peregrinamur à Domino (per fidem enim ambula-
mus & non per speciem) Audemus autem & bonam
voluntatem habemus magis peregrinari à corpore,

Philip. 2 praesentes esse ad Dominum. Ac rursùm, *Convector*
è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Chri-
sto, multo magis melius, permanere autem in carne,
necessarium propter vos: promptum videtur intel-
ligere sanctorum animas corpore solutas & ab

Mich. 2 omnium reatu liberatas, ac perfectè purgatas, non ex-
pectata universalis iudicij die statim ad Deum si-
cuti est videndum, eoque fruendum, admitti, post-
quam Christus Dominus *ascendit pandens iter*
ante eos. Si enim simulatque terrestris haec & ca-
duca domus per mortem fuerit dissoluta, habemus,
non in spe, sed in re meliorem manufactam,
in caelis; si ut praesentes simus ad Dominum, ut-
que non amplius per fidem ambulemus, sed, et
speciem, optandum nobis est ut à corpore pere-
grinemur; si, quando dissolvimur, statim sumus
cum Christo, nec id quomodo cumque (nam
& in corpore manens Paulus aliquo modo erat
cum Christo) sed eo modo quo 1. Theff. 4. de
sanctis dicitur; *Et sic semper cum Domino eris-*
mus: dicendum sequitur animas piorum, nul-
lo peccati pondere speditas, aeternum glo-
riae pondus accipere, statim ut à corporibus pe-
regrinantur.

Quia tamen aliae quaedam scripturarum senten-
tia non secundum primariam Christianae religio-
nis veritatem, non secundum Ecclesiasticas tra-
ditiones & Patrum magisteria intellectae, di-
versum quiddam significare videntur: nonnul-
lis, etiam veteribus, persuasum fuit animas san-
ctorum quantumvis perfectè purgatas, ad beatifi-
cam Dei visionem ante generalem corporum re-
surrectionem non admitti: sed interim versari in
quodam felicitate imperfecta quae dolorem qui-
dem omnem excludat, non tamen desiderium vi-
sionis Dei verèque beatitudinis expleat, utpo-
tè nondum apparente gloria, cuius meminit pro-
pheta Regius; *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Pf. 16. In his fuerunt Tertulianus, Lactantius, Victori-
nus, Euthymius, &, ut quibusdam placet, Ber-
nardus. Ex ejus verbis luce clariùs constat, (ait
Alphonsus Castrensis) illum sensisse, sanctorum
animas ante diem iudicij in sola visione humani-
tatis Christi quiescere, & post diem illum exal-
tandas usque ad visionem divinitatis. Ita quidem
ille: sed, an ex veritate? Bernardus enim non
slylo tantum sublimis, sed etiam doctrinae solidi-
tate conspicuus, non tam humano scripsit elo-
quio, quam divino doctus oraculo. Nam quid-
quid in scripturis valet: quidquid in eis spiri-
tualiter sentit; maxime in silvis & in agris meditando
& orando se conficitur accepisse, ait author ejus
vita lib. 1. cap. 4. Fluidus admodum & copio-
sus, in elocutione facilis, in scripturarum con-
catenatione admirabilis, fide, pietate, scientia, cla-
rissimus. Quid ergo, vir talis ac tantus de propo-
sita difficultate senserit, apud vos sic hodie sus-
cepi discutendum, ut 1. quae erroris istius
ipsum insimulent, in medium proferamus: deinde
quid ab errore vendicet.

Sylv. Oraciones Theologicae.

A Argumenta erroris ex sermonibus in festivi-
tate omnium Sanctorum veritas desumuntur;
Primum ex sermone 2. Jam verò, inquit, consum-
mato militiae tempore, gaudium habent Sancti,
etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa qua
introire mereantur in gaudium domini sui.

Secundum, Adhuc (ait) signatum est super nos
lumen vultus domini; interim convertantur ani-
mae illae in requiem suam, donec veniat dies qua
introire mereantur in requiem domini. Ex qui-
bus consequens videtur animas sanctorum, cum
nec in gaudio nec in requie Domini fiat; beati-
tudinem praestolari nondum adeptam: quod & in
serm. 3. manifestius indicat, ex quo.

B Tertium hoc est argumentum: Avertitis (nisi
fallor) ex his quae praecedente sermone sunt dicta,
tres esse sanctorum status animarum; primum
videlicet in corpore corruptibili: secundum sine
corpore, tertium in beatitudine consummata,
primum denique in Tabernaculis, secundum in
atrijs, tertium in domo Dei. Et postea: Multi
in atrijs stant, expectantes donec recipiant cor-
pora sua, donec impleatur numerus fratrum. In
illam enim beatissimam domum nec sine nobis
intrabant, nec sine corporibus suis, id est nec san-
cti sine plebe, nec spiritus sine carne.

C Quartum ex eodem sermone 3. O misera caro,
ò fœda, ò fœtida; unde tibi hoc? Anima sanctae
quas propria Deus indignavit imagine, te deside-
rant: quas redemit proprio sanguine, te expe-
ctant, & ipsarum sine te compleri laetitia, perfici
gloria, consummari beatitudo non potest. Ad eò
siquidem viget in eis desiderium hoc naturale,
ut necdum tota eorum affectio liberè pergat in
Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam
faciat dum inclinatur desiderio tui. Et postea,
Sine macula sunt ante thronum Dei, sine macula,
inquam sed necdum sine ruga: donec veniat
dies, cum sibi gloriosam Christus exhibebit Ec-
clesiam non habentem maculam, neque rugam.
Cum in caelo, sicut non inveniuntur maculae, ita
nec rugae, totaque videntium Dei maiestatem
affectio liberè feratur in ipsum (Satiantur enim
apparente ipsis gloria Dei) an non ex Bernardi
severentia consequens est, piorum ac sanctorum
animas visionis illius beatificae nondum factas esse
participes? admittit enim in eis rugas, & satieta-
tem negat desiderij.

D Quintum ex eodem sermone 3. Quemadmo-
dum sine macula quidem vultutatis, sed non sine
ruga contractionis eas diximus esse: sic ad gratia-
rum actionem jam pervenisse videntur, sed necdum
ad vocem laudis. Si ad vocem laudis non pervene-
runt, igitur nec ad visionem pacis: qui enim à
laudibus temperarent, Deum sicuti est contem-
plantes cum typicis animalibus, quae *requiem*
E non habent die ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus,
Sanctus Dominus Deus omnipotens qui erat, & qui
est, & qui venturus est?

E Sextum, In sermone 4. differtè affirmat Sanctos
non percipere regnum, quod eis paratum est,
donec compleatur numerus fratrum. Qui verò
beati sunt, percipiunt regnum: ergo sancti
nondum sunt beati: Verba ejus sunt. In hunc
ergo locum Salvator, descendens contrivit por-
tas areas, & vestes ferreas confregit, eductos-
que vincitos de domo carceris, sedentes quidem,
hoc est quiescentes, sed in tenebris & umbra mor-
tis, jam tunc quidem sub altari Dei collocavit,